Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

20. de personarum æqualitate in operandi potentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

Visual Library

vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicēdus eſt Deus. In rebus enim corporeis nō tantùm eſt vna, quantùm tres ſimul. In Trinitate verò ſumma tantùm eſt vna perſona, quantùm tres ſimul, &c.

DE PERSONARVM AEqualitate in operandi potentia.

DISTINCT. Vigeſimæ CAP. Vnicum.

Indifferens eſt trium Perſonarum potentia.

Superius dictū eſt de Perſonarū æqualitate in magnitudine & æternitate: nunc de æqualitate earū in poteſtate.

SIcut indifferens eſt magnitudo trium: ita vna indifferens monſtratur potētia. Ita vt non poſsit plus vnus quàm aliùs, vel duo, quā vnus, &c. Quod Aug. rationibus & authoritatibus aſtruit lib. 3. contra Maxi. Nihil, inquit, Patre minus habet ille qui dicit, Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Nam ſi minus aliquid in poteſtate habet quàm Pater, non ſunt eius omnia quæ habet Pater. Sed eius ſunt omnia quæ habet Pater: tantam ergo habet poteſtatem Filius, quantam Pater. Aequalis ergo eſt Patri, &c. Habet igitur omnipotentiam quam Pater: aliàs ſi minorem accepit, non omnia quæ habet Pater, Filius habet. Et ſi hoc eſt, falſum eſt quod ait Filius, Omnia quę habet Pater, mea ſunt. *Lib. 3. Ca. 12.*

Item, ſi Pater produxit Filium minorem

ſeipſo, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si non voluit, eum inuidum dixiſti. Si autem non potuit, vbi eius potentia? Ecce vtrinque Patri derogas. *contr. Maxi. lib. 3. cap. 7.*

Hoc autem per ſimilitudinem humanam ita eſſe demõſtrat, inquiens: Homo Pater, ſi potuiſſet, æqualem Filiũ genuiſſet. Quis ergo audeat dicere ꝙ hoc omnipotens nõ potuit? Addo etiã: ſi poſſet homo, maiorem melioremq; Filium ſeipſo gigneret. Sed maius vel melius Deo quicquam eſſe non poteſt.

Opinionem ponit hæretici vt deſtruat.

SEd forte dicis, Pat. eoipſo eſt maior Filio, quia de nullo genit⁹, genuit tamen æqualẽ. Ad quod citò reſpondebo: imò ideo nõ eſt Pat. maior Filio, quia ęqualẽ ſibi genuit. Originis enim quęſtio iſta eſt, quid, de quo ſit: æqualitatis autẽ, qualis aut quãtus ſit. Quod eſt dicere, Ad originẽ pertinet quæſtio qua quæ ritur, quis de quo ſit: ad ęqualitatẽ verò qua quæritur, qualis quãt⁹ ſit. Nec cùm dicitur Filius à Patre genitus oſtẽditur inæqualitas ſubeſſe, ſed ordo naturæ: non quo alter prior eſſet altero: ſed quo alter eſt ex altero. Non ergo ſecundum hoc, quò Pater genuit, & Filius genitus, vel Spiritus ſanctus ab vtroque procedit, æqualitas vel inæqualitas ibi exiſtit: quia non ſecundum hoc alia Perſona alij æqualis vel inæqualis dicitur.

Nota. Procedere ab altero non eſt inæqualitatis ſed ordinis naturæ.